

Archivio Storico

PASSIO  
SANCTI EPHISI

Omaggio al Presidente  
dell'Arciconfraternita del Gonfalone  
Luciano Salis - sett. 1986  
Cenza Thermes

Archivio Storico  
Arciconfraternita del Gonfalone

PASSIO  
SANCTI EPHYSI

(Cc. 201 - 208 del Codice Vaticano Latino 6453)

In tempore illo regnante dioclitiano impiissimo atque crudeli.

et omni ydolorum culturae dedito facta est aecclesiis christi valida persecutio. ita ut totum mun<sup>dum</sup> edictum dioclitianus poneret. ut nullus auderet christum nominare. et omnibus mitteret cristianis. quatinus pacifice derelinquerent aecclesiam christi. et diis suis atque ydolis culturam venerabiliter exhiberent. et vita illorum christianorum qui hoc facere vellent in pace finiretur. Sin autem tormentorum variis generibus puniretur.

Haec itaque dissensio prima descripta est adversus aecclesias cristi in toto mundo. ut derelinquent cristiani christum colere. et sub imperio dioclitiani ydolorum cultoribus se sociarent. quatinus omnes terrarum nationes essent unius culturae. et omnium ipse dominaretur.

Et misit dioclitianus huius discensionis primam epistulam ad heliam civitatem. hec verba continentem.

Rex magnus et imperator dioclitianus: omnibus populis. tribubus et linguis salutem.  
Placuit excellentiae nostri imperii deorum nostrorum ampliare et honorificare culturam. quoniam ipsi sunt per quos mundus regitur totus.  
Quicumque ergo in fide illius galilei inventi fuerint permanere, aut diis nostris tura ponant et sacrificent. aut atrocissimis consumentur penis.

Nolumus enim varios sacrificiorum ritus fieri, ne forte dii nostri irascantur cum debeant misereri. Una erit omnibus lex et cultura. una doctrina atque religio una. et nullus a nostra separabitur fide. Si quis ergo inventus fuerit cui haec nostra displiceat epistula. et quae in ea precipimus noluerit adimplere: quicumque fuerit punietur et nostram dominationem in toto mundo fieri cognoscet. Nam qui dixerint quia cristiani sumus. et deorum culturam affirmabunt nullatenus esse tenendam.

sicque nostris obedire noluerint preceptis. omnibus quae excogitari possunt subicientur tormentis. Qui vero ex ipsis ad nostrorum convertentur magnificam deorum culturam de nostro accipient pala<sup>tio</sup>: auri et argenti plurimum.

Hoc autem ideo facimus. quia deos nostros propitios habere volumus. et nostro propitientur imperio: eos exaltare cupimus.

Et quam cum festinatione partibus vestris appropinquare disposuimus: proptet imperii nostri celsi-

tudinem et debitam nostrorum deorum reverentiam exgentes. sacrificia ponite. tura incendite. festa celebrate. quatinus eorum claritas. et potestas in finem usque quaque permaneat. et nostri altitudo imperii his ita descriptis. atque imperialibus iussis per epistulam populo supradicte civitatis transmissis. parvo temporis spatio interposito: antiochiam adiit civitatem.

Exierunt autem ei obviam homines civitatis illius. utriusque sexus et aetatis. cum timpanis et choris. et omni genere musicorum. et introduxerunt eum cum gaudio magno. cantantes atque letantes.

Altera vero die. imperator fecit ad se vocari omnes primos civitatis illius et honorabiles viros. quibus et dixit.

Quam fidem colitis?

Resonderunt illi et dixerunt.

Deorum qui permanent semper.

Apollinis scilicet iovis. et mercurii. saturni. minerve. et iunonis. ceterorumque numinum.

Tunc dioclitianus hylaris nimis effectus. pro illorum fide diis suis gratias egit. et donis amplissimis viros civitatis antiochie exaltavit.

Tempore autem illo erat quedam femina nomine alessandria. nobili genere procreata. et prima civitatis supradictae heliae. greca utens lingua..

Cuius vir nomine cristoforus. christi fidem imbutus fuerat. ipsa tamen ydola surda et vana colebat. Haec ergo mulier audiens dioclitianum antiochiam advenisse: cum unico filio suo nomine ephysio venit ad eum.

Quem cum imperator vidisset: interrogavit sibi assistentes. unde ipsa esset mulier.

Illi autem qui noverant eam responderunt. quod nobilis et sapiens mulier esset. et prima civitatis heliae.

Et imperator iterum interrogavit eos dicens. habet virum? aut cuius est religionis?

Resonderunt illi. domine imperator vis eius mortuus est. et fuit unus excoletibus christum. sed hec mulier nostre est religionis. et omnia numina nostra colit.

Tunc imperator audens hec gavisus est. et iubens propius accedere alexandriam. dixit ei.

Mulier quid queris?

Alexandria respondit.

Rex magne et imperator. in aeternum vivas. veni ad imperii vestri celsitudinem quo totus floret et regitur mundus.

Habeo siquidem hunc unicum filium nomine ephisum. quem ad vos domine imperator adduxi. ut in vestro sit conspectu unus ex assidentibus miles.

Quem dioclitianus videns decorum aspectu atque formosum. et iuvenilis etatis flore lucentem. leto animo apud se recepit. et adeo cepit diligere: quod magnam partem sui exercitus illi concessit. et in italiam ad cristianos puniendos eum direxit.

Tunc ephesus imperatori dixit.

Audivi domine imperator: quod illi qui cristum adorant: magis eligunt mori; quam cristum quem collunt derelinquant.

Tunc dioclitianus respondit dicens.

Nulla ratio videtur esse: cur christus debeat dici deus.

Cum enim a principibus iudeorum reus mortis iudicatus fuisset. et ante pilatum eorum presidem flagellatus. sputis et colaphis et corona spinea lusus. et tandem in cruce suspensus et mortus fuerit. patet christum non fuisse deum. qui de tantis iniuriis et de crucis suppicio se ipsum non potuit liberare.

Proinde in illum credentes: poteris rationabiliter confutare. et nisi ad deorum nostrorum culturam re  
dierint: iuste poteris damnare. ephesus itaque acceptis militibus et licentia ab imperatore. valefaciens  
matri et omnibus notis adversus cristianos in partes italiae ad locum qui dicitur transci. se contulit.  
Et cum pre nimio ardore solis non in die sed in nocte equitaret: pervenit urittaniam.  
Cui omnes populi obvian exeuntes. Devote eum salutabant. et suscipiebant.  
Cumque adhuc longe esset ab urittania quasi stadiis triginta. hora noctis tertia factus est sonitus ma-  
gnus valde. et terribilis nimis super eos. ita ut efficerentur quasi mortui.

Et vox de celo sonuit dicens.  
O ephise: unde venis vel quo vadis.  
Ephesus autem nimius perterritus dixit.  
Ab antiochia civitate venio. et filius sum alexandrie prime helie civitatis.

Dioclitianus vero dedit michi potestatem in italie adversus cristianos. ut eos multis penis  
afficiam.  
si diis omni potentibus sacrificare noluerint.  
Voxque iterum de celo audita est.  
O ephise. et tu per martirii palmam ad me huc venies.  
Ephesus vero respondit.

Quis es domine?  
Ostende te michi. ut videam magnitudinis tuae potentiam.  
In ipsa autem hora apparuit ei crux in similitudinem cristalli.  
Et vox de celo auditae est.  
Ego sum Christus filius dei vivi. quem crucifixum iudeu. Quem tu persequeris.

Dicit ei ephesus.  
Domine audivi dioclituanum dicentem. quod a principibus iudeorum damnatus. et multis opprobriis  
delusus fuisti. et postremo crucifixus. et in cruce mortuus fuisti.  
Si ergo filius dei eras: cur ista sustinuisti?  
Dicit ei dominus.

Ephise. ab hac hora vas michi electionis eris. et ego ostendam tibi hec omnia.  
Dico tamen tibi. quia nisi omnia dixisti patienter sustinuisse; et iudicatus ab impiis qui iudicare  
de  
beo non fuisse: quae prophete predixerunt adimpta non essent. et a captivitate daboli humanum  
genus eripi non posset.  
Et nisi in ligno crucis suspensus fuisse; patriarchae et prophete de inferni claustris non exissent.

Et nixi mortem gustavisse: qui mortui erant peccatis. ad vitam redire non possent.  
Audiens autem hec ephesus: gaudio repletus est magno.  
Et adiecit dominus et dixit ad eum.  
In virtute crucis quam tibi ostendi: vinces inimicos tuos: et pax mea semper tecum erit.  
Et haec dicens: receptur est celo.  
Ephesus vero confortatus in domino. retulit militibus suis quae audierat.  
Similiter et omnes qui cum eo erant corroborati: dederunt gloriam deo.  
Nocte autem insecura: ingressus est ephesus gaietam.  
Et convocans ad se omnes civitatis aurifices: interrogavit eos si aliquis eorum vas sibi necessarum  
faceret.

Illi autem timentes ne de cruce eis diceret: dixerunt se illud non posse fscere.

Tunc ephesus vocavit ad se quendam nomine iohannes quem audierat peritum esse magistrum in auro et argento. et demonstravit illi crucem quan habebat in dextera manu. ut ad illius similitudinem crucem sibi diligenti componeret studio.

Quam iohannes videns tremefactus: et nimio pavore perterritus: affirmabat se nullam in hac arte habere scientiam.

Affirmabat etiam quod galilei et christum colentes credebant hoc esse salutis signum. et quod dioclitianus precepisset hoc signo utentes interfici variisque tormentorum generibus affligi. et quod nullo modo si faceret abscondi.

Tunc ephesus dicens eum secum in locum secretum. rogavit ut nullo timore conturbaretur. quia et secretum teneret. et dioclitianus nequaquam sciret.

Et dans sibi aurum et argentum. multosque promittens honores. non permittebat abire. nisi prius quod volebat operaretur.

Annuens autem iohannes. Operatus est ex auro et argento quod sibi ephesus dederat. pretiosissimam crucem.

Cumque consumata esset crux in nocte atque erecta: tres in ea apparuerunt ymagines. litteris descriptae grecis.

In titulo superiori: emanuel. in dextera crucis parte: michael. Ii sinistra: gabriel  
Videns itaque iohannes tres illas ymagines: perterritus nimis. crucem et eius ymagines destruere laboravit. sed minime quod voluit perficere valuit. quia dei voluntati contra ire non potuit  
Veniens ergo ephesus ante gallorum cantu. alterius noctis silentio. ad domum iohannis videre quam fecerat crucem. invenit tres illas ymagines in cruce depictas. unde admirans valde; dixit iohanni.

Quid est hoc frater?

Nonne dixi tibi. ut crucem michi tantum faceres. et alias nullo modo figuras?

Unde hoc habuisti: vel qui docuit te talia facere?

Respondens autem iohannes dixit: domine mi. cruce in nocte adsconse fabricata. et altera erecta. in ea tres quas vides apparuerunt ymagines. me omnino ignorante. quis eas ibi posuerit.

Tunc ephesus hoc evenisse dei voluntate intelligens: tulit secum quam iohannes fecerat venerabilem crucem.

Et adorans eam magno amore: fusisque ante eam plurimis lacrimis. post orationem diligentissime involvit eam in purpuram.

Gaudens itaque ephesus. plurimas deo gratias retulit. et de ipso opere crucis. iohannen artificem dignissime remuneravit.

In diebus autem illis. quidam hostes romani imperii. quosdam romanorum invaserant: et tam viros quam mulieres. et omnia quae poterant captivaverant.

Quo ephesus audito per nuntios: nimium dolens ex eo quod acciderat. cum militibus suis contra illos perrexit. portans secum vivifice crucis vexillum. et dicens in corde suo.

Nunc probabo si oc signum quod michi ostensem fuit ad ausilium: has barbaras gentes subvertet: ut per illud feliciter vincam.

Et ex equo descendens. atque cum honore et reverentia in loco sublimi sanctam collocans crucem.

adoravit eam.

Flectensque genua sua ante eam orientem versus. cum lacrimis dixit.

Fiat michi domine in auxilium promissio tua. et spes mea quae habeo in te.

Tu enim cristus filius dei vivi quem credunt et adorant galilei.

Per te ergo et per signum sanctae crucis tue. gentes has quae in sua feritate confidunt comprime et prosterne.

Orante vero eo cum lacrimarum multitudine: de celo ad eum vox facta est dicens.

Ephise ne timeas.

Viriliter age et confortare. ego enim sum dominus deus tuus.

Audiens autem hec consolationis verba ephesus corroboratus valde: mansit intrepidus.

Et exurgens. atque nobilitatis quam prius deposuerat vestem reinduens. ad suos cum festinatione reversus est.

Dixitque illis. et ceteris qui ad eum venerant. et ad pugnam invitaverant.

State fratres mei viriliter a dextris meis et a sinistris. et pugnate adversus inimicos nostros.

Deus enim nobiscum est. qui pro sancte et vivifice crucis signum nobis victoriam prestabit.

Denudate ergo gladios vestros. ete percutite inimicos nostros. et eos nullo modo timeatis.

Illi autem corrobotati et confortati. atque sanctae crucis signo confidentes.corde ac mente unanimes iniere certamen.

Saraceni vero omnia dinitentes. projectis armis. et perditis viribus fugere circumquaque ceperunt.et cunctam quam asportaverant predam perdiderunt. et ex eis in illa die duodecim milia ceciderunt.

Haec omnia a deo acta prospera. et per virtutem sancte crucis factum est. ut neque ephesus. neque aliquis ex suis militibus caderet. vel vulneraretur.

His ita gestis: credit omnia ephesus quae sibi de cruce dominica promissa fuerant. ac fide divina armatus. et christi baptismate consecratus. nullam ulterius ydolis vanis. mutis. et surdis exhibuit reverentiam.

Et victor omnibus existens: cotidie divinis intentus erat scripturis.

Reminiscens interea beatus ephesus barbarice gentis quae sardiniam insulam tenebat. et quam illis diebus audierat crudelem esse et impiam. omnesque devastantem terras atque provincias. militum multitudinem atque virorum belligatorum congregavit exercitus.

Intransque navigium: usque ad insulam optime aptatus pervenit sardiniam.

Tunc gens illa barbarica volens illis resistere. usque ad mare se contulerunt obviam illis. et bellum iniere cum ipsis.

Cumque deo concedente non valerent pugnare. terga dederunt. atque ad propria redierunt.

Tempestas maris interea exorta est valida. ventusque validus naves ephisi suorumque militum duxit ad terram: numero quindecim.

Sed in nulla earum. deo volente ephesus fuerat.

Barbari autem stantes in litore eos tenuerunt. et quotquot in navibus invenerunt. trucidaverunt.

Beatus vero ephesus clamorem populi audiens. suosque magna ex parte mortuos esse cognoscens: perterritus nimium dei misericordiam postulabat. cordeque contrito et humiliato dominum exorabat Non me domine tempestas aquae demergat. neque me profundum obsorbeat. neque super nos urgeat puteus os suum.

Non me derelinquas domine. ne barbarica gens exaltetur. et dicant ubi est deus eorum. sed intende de celo et vide. et ne patiaris nos fluctibus maris opprimi.sed fac illud placidum et quietum. quia tu es gloriosus nunc et semper. et per omnia seculorum.

Haec autem eo orante: facta est tranquillitas magna. et a fervore suo cessatum mare.

Ephiso vero et ceteris qui remanserant inde navigantibus et deo eis propitio quietum mare habentibus: venerunt usque ad fluvium in locum qui arvorea nuncupatur.

Et intrantes fluvium descenderunt in terram ipse et milites sui. cum equis et omnibus que secum deferebant. quasi stadiis tribus.

Deinde exierunt milites. ut considerarent terram illam. et quid facere possent investigarent.

Barbari interea eis obviam venerunt. sed illi ex illis quosdam occiderunt. quosdam mucro manibus post tergum ligatis. ad ipsum ephismus cognomine stratilatem perduxerunt.

Et quos captos habebant. quomodo vocaretur locus ille interrogabant.

Dicebant autem locum illum nominari arvoream.

Sequenti vero nocte. cum se ephismus sopore dedisset: christus iesus mundi salvator sibi apparuit dicens.

Gaudium tibi sit semper.

Et adiecit. Viriliter age. et confortetur cor tuum.

Exurgens autem somno. et formidine mortis abiecta. dixit militibus suis.

Nolite timere.

Probavit enim nos christus. pro genere humano crucifixus.

Nunc autem eum nobiscum permanere fertote. pergamus tantum. et consideremus terram.

Abeuntes vero. ad locum qui tirus dicebatur pervenerunt.

Et ecce barbari viri iniqui veniebant pugnare parati. et eos vincere sperantes.

Factum est autem dum utriusque gentis partis gentes magno clamore sibi invicem appropriarent: vidit beatus ephismus ad dexteram suam in orientis parte. virum eunuchum cubiculari ac palatii primo similem. in equo albo sedentem. et in dextera manu sua ropheam utraque parte acutam tenentem. et desuper sanctae et vivificae crucis similitudinem portantem.

Dixitque ad beatum ephismus.

Hoc venerabile. regis est omnium hominum.

Et invicem se salutaverunt.

Tun ephismus de equo descendens. et arma bellica exuens: adoravit eum pronus in terra.

Cepitque eum interrogare de rege. de quo sibi mentionem facere paulo ante disposuerat.

Rex ille respondit. de quo me interrogas misit me in adiutorium tibi. cum romphea quam manu mea gestare cernis.

In qua cunctos vinces inimicos et barbaros.

Cumque eam acceperis. et cum ea tibi resistentes prostraveris memor illius tibi mittere eam curavit mittere eam curavit semper eris.

His ita dictis: in manu sancti ephisi posuit eam.

Dixitque ei. Sequere me.

Beatus vero ephismus sequebatur eum.

Cumque barbari ad preium parati. hominem illum eunuchum similem. et beatum ephismus viderent. timor eis incomparabilis apprehendit.

Et terga vertentes: fugere ceperunt undique confusi.

Beatus autem ephismus persecutus est eos cum suis militibus prostravitque eos. victoria sibi de celo subministrata per angelum.

Et sic omnibus superatis. dominatus est in tota terra illa sardiniae. atque omnia barbarorum colla sua ditionis iugo supposuit.

Caralis autem tempore illo civitas magna. populo et divitiis florens. non adeo barbaris moribus utebatur.

Ad quam beatus ephismus pergens. evulsis de illius populis corde zizaniis: vitae semina serere non cessabat.

Cognoscens autem se in omnibus deum propitium. et protectorem habere et in virtute sancte crucis inimicos vincere. dioclitiano per unum ex militibus suis strenuum et preclarum misit epistulam. hec verba continentem.

Dioclitiano magno imperatori. ephesus dux.

Cum imperii vestri sapientia. tanta ac talis fieri debuisset: ut per eam totus nitesceret mundus. miror valde quare tam turpes colitis deos: qui ex quocumque metallo fabricati. nec sibi nec aliis proficere possunt.

Quorum capitibus stercora aves celi proiciunt. quorum oculi non vident. aures non audiunt. manus non palpant. pedes non ambulant.

Hos tales deos dicere sapientia romana non debet. sed christum verum dominum esse credere debet. qui. omnia creavit ex nichilo.

Unde imperator. imperii vestri celsitudo omni remota ambiguitate cognoscat: me colere ipsum christum filium dei vivi. ipsumque adorare. et ab eius fide nulla me posse amplius ratione divelli.

Misit preterea beatus ephesus quendam de militibus suis ad matrem suam. qui nuntiaret se atque suos per gratiam dei et per virtutem sancte crucis. contra romanorum hostes victores extitisse. et barbarum populum sardinie superasse. seque chistianum per divinam gratiam factum fuisse.

Quod mater audiens: tristis nimium effecta. ad dioclitianum imperatorem perrexit. plorans et dicens Rex in aeternum vivas.

Sapientiae vestre celsitudo per universum rutilat orbem. ac imperii vestri moderanime totus regitur

mundus. nullusque esse cognoscitur qui deorum sacra contempnat. vel qui religioni vestrae contradicit.

Solus filius meus magus et galileus effectus: numina nostra evacuat. vestraque precepta non curat.

Iubeat ergo clementia vestra aliquem ad filium meum mitti. ut a stultitia et falsa doctrina resipiscat.

et deos quos orbis romanus colit venerabiliter colat.

Imperator ergo cum ista audisset. et epistulam beati ephisi perlegisset: turbatus et nimio furore repletus est.

Et consilio cum suis accepto: unum ex militibus suis nomine iulcium vocavit. constituitque eum iudicem. ut christianos affligeret. in partibus caralitane regionis consistentes.

Cui et dixit.

Accipe tecum istius civitatis honorabiles viros et hanc nostre potestatis epistulam habens. ad Caralim civitatem sardinie quantocius perge.

Ephisum vero alexandrie nobilis filium apprehende. et variis tormentorum generibus si non resipuerit interface.

Audivimus enim quod errat in fide. et nostros vituperat deos. quorum virtute ac potestate regnamus.

Et credit in Christum crucifixum. quen iudei multis ac variis tormentis illusum. crucis patibulo affixerunt.

Unc deserere et nostra colere numina si voluerit: in nostro gloriosior conpestu donis et divitias. ac honoribus magnificentior erit.

Si vero ad nostre sapientiae magnitudinem redire noluerit: omnem honorem ab eo tolle. et omnia ei

tormentorum genera ostende. et omnia eius membra nisi diis sacrificaverit dilacerare stude. ut ceteri qui secte illius doctrinam tenuerint timeant. et talia ulterius non committant.

Tunc yulcius iudex sicut imperator preceperat perficere non distulit et cum viris fortissimis atque nobilibus quos diocltianus dixerat: caralim civitatem adiit.

Cumque terram lustrarent: misit iudex de militibus suis unum. qui diceret ad ephisum.

Mittit tibi iudex. Quoniam illo maior es ad te cupit venire. videre. et salutare. ac debitam persolvere reverentia festinat.

Ephesus autem ut veniret annuit.

Cumque se alteruter salutarent: atque in osculum ruerent: confabulari de multis sic est consuetudo ceperunt.

Iudex tamen causa notificata. ad quam venerat exercendam: dedit ephiso epistulam quam secum detulerat legendam.

Epfisus autem lecta epistula: indignatus ait.

Stulti et fatui regis precepta. neque sunt facienda. nec etiam auscultanda.

Unde scias quia christianus sum. et christo servio. ac dioclitiani precepta viriliter sperno. eiusque epistulam pedibus meis conculco.

Tunc iudex dixit ei.

Imperator in palatio suo te maiorem vult facere. diviti isque et honoribus ampliare.

Crede tantum et sacrifica diis.

Regi enim necessarius es. ideoque precepta eius ne contempnas.

Respondit ephesus.

Sacrificium immaculatum cotidie offero deo meo ihesu christo. et eius precepta custodio. minas vero dioclitiani non curo.

Audivi enim scripturam sanctam dicentem.

Nolite timere eos qui occidunt corpus. quoniam animan non possunt occidere.

Sed eum potius timete. qui potest et animan et corpus perdere in gehennam.

Ecce corpus meum: omnes pro christo sustinere penas paratum est.

Iudex dixit.

Noli talia loqui. patior enim plane quia meus es amicus. omnia quae loqueris.

Respondit beatus ephesus. Dixi tibi quia christianus sum. et eius crucem die noctuque adoro. qui habet super omnem carnem potestatem. et super omnes iudices terrae. et super reges et principes.

Tunc iudex una cum militibus suis furore et ira succensus: iussit eum ligari. ac ligatum in custodia carceris mancipari.

Altera autem die sedens pro tribunali. iussit eum in conspectu suo sisti.

Et dum ante eum ligatus astaret: ecce caralitane civitatis populi qui ydolorum cultores extiterant. vociferantes clamabant illum esse deorum suorum dissipatorem. et blasphematorem. ac regis precepta non inclinare cervicem.

Hec autem iudex audiens: torvo vultu et nimia iracundia succensus: atque a diabolo axagitus: fustibus eum ante se mactare precepit.

Et tam diu: quoisque sedecim militum manus. mutatis vicibus lassarentur.

Videntes itaque qui astabant populi. beatum ephisum iuvenili etate florentem. et eius pulchritudi-

ni compatientes. pre dolore nimio flebant. quibus beatus ephesus dixit. viri patres et fratres nolite super me flere. sede super vos. qui diaboli estis errore decepti. et quorum animae nisi convertamini: erun in aeterna dampnatione.

Et orans dicebat.

Domine iesu christe qui errata corrigis et elisa redintegras tu sis in adiutorium michi. et corroborame servum tuum. quatum conculcare valeam omnem diabolicam artem.

Milites vero qui seoum ante fuerant. quoisque eius finem viderant: ab eo non discedebant.

Carnefices interea cum uncinis ferreis carnes eius dilacerabant. Ita ut eius coste cetraque ossa nudarentur. et dicerent eum mortuum esse.

Ipse vero erat spem habens in domino. cui cotidie famulabatur. et carnes eius et nervi vix iam videri poterant: quoniam in terram defluxerant. vox eius tantum in oratione consistebat.

Iussit iterum iudex eum in carcerem trudi. quoniam advesperascebat. et qualiter eum altera die. igni cremare cogitabat.

Tunc caplicarius terrentianus nomine qui suus ante fluerat amicus. et nobilis valde. memor illius collegit eum solus. ac involvit in sindone et posuit in carcere. clausitque hostia carceris. et ministrevit ei.

Statim autem angeli adeo missi sunt beatumque ephisum visitantes dixerunt.

Nos sumus angeli missi a deo ad consolandum te. dixit eis beatus ephesus.

Si angeli a deo estis missi. sanctae et vivifice crucis imprimite signum in frontibus vestris.

Quod si feceristis: credam verum esse quod dicitis.

Angeli vero ita fecerunt.

Beatus itaque ephesus dixit eis.

Scio quia tribus pueris in caminum ignis missis. atque in eo orantibus missus est angelus domini in coelo. qui ignis flamman extincxit.

Sed ego quid operatur sum boni: ut ad me mitteret dominus angelos suos?

Angeli autem hec audientes: deprecati sunt dominum ut beato ephiso se ipsum dignaretur ostendere.

Apparuit itaque dominus ei. nimio in carcere corruscante splendore.

Et erigens eum sanum: dixit ad eum.

Ne timeas serve meus ephise. neque tiranni minas expavescas. quoniam ego tecum sum. et non te deseram.

Viriliter age. et confortare cor tuum.

Tu autem in hoc loco multum michi populum acquires. atque innumerias congregabis oves.

Tremefactus itaque beatus ephesus. nimioque pavore exterritus. in terram cecidit. et oravit dicens.

Dominator domine. cui nullus resistere potest: secundum multitudinem miserationum tuarum miserere mei. et ne memineris iniquitatum mearum antiquarum.

Respice in me domine quoniam tu me creasti. atque te cognoscere michi dedisti.

Delicta ergo iuventutis meae. quibus te irritavi. teque graviter offendi: ne recorderis piissime deus. Dixitique ei iterum dominus.

Pax tibi ephise. dulcis amice.

Confortare. atque viriliter age. accipiens inum coronam vite. et per martirii palmam gloriam consequeris aeternam.

Et hec dicens: ascendit in coelum.

Paucis itaque diebus transactis. misit unum de ministris suis index ad caplicarium terrentianum: ut si adhuc viveret ephesus interrogaret eum.

Tunc caplicarius terrentianus: ei omnia quae ipso carcere evenerant retulit.

Abiit autem minister ad carcerem. et inclinans se ut videret beatum ephisum. vociferando dixit ad eum.

Ephise.

Et ipse respondens dixit ad eum.

Ecce ego.

Minister vero dixit ei.

Non possum te videre.

Respondit ephesus.

Quoniam diaboli sagitta cor tuum vulneravit. et ydola vana et surda coluisti: cecus eris. et me videre non poteris et in tenebris eris. et in tenebris ambulabis. rediens autem minister: nuntiavit omnia iudici et senioribus quae dixerat ei beatus ephesus.

Sedens itaque iudex pro tribunali: iussit in conspectu suo beatum ephisum presentari.

Et dum pretorium ingrederetur beatus ephesus: facies eius splendebat sicut sol. et nulla tormentorum macula suo corpori adherebat.

Videntes autem populi caralitane civitatis. mirabilia quae deus per servum suum operatus fuerat. quasi ex uno ore clamabant. deus sancti huius adiuva nos.

Tunc iudex audiens clamorem populi. et eius tumultum ferre non valens. cum festinatione a thro no surrexit.

Et manu annuens: voce magna dixit.

Fratres mei karalitani a fide vestra quam usque modo tenuistis: extranei nequaquam efficiamini. In istum etiam qui insanus factus est: credere nolite.

Scitis enim et deos nostros esse felices. et cuncto mundo auxilium prestantes. Quos imperator et omnis excolit orbis

Ipsi vero unc servum suum ephisum plasmaverunt. et ut ad sensum redeat eum sanum fecerunt. Sanctus vero ephesus clara voce dixit.

Dominus meus ihesus christus unigenitus dei filius. secundum carnem de virgine natus. et pro hu

mani generis redemptione crucifixus: plasmare me ad imaginem suam dignatus est. non dii tui lapidei. vel ex quocumque metallo facti. de quibus scriptura dicit. quia surdi sunt et vani.

Sed si vis: tuorum ingrediamur tempa deorum: et quis me ex ipsis plasmaverit deus cognoscamus. et isti in quen credere debeant populi videamus.

Tunc iudex gaudio magno repletus: iussit scopi mundari terram. a pretorio usque ad apollinis

templum. et sindones et mollia stramenta super eam proici. ac ephisum desuper ire.

Mulieres vero super murum deambulantes: ad ephisum ad templum apollinis euntem voce magna clamabant.

O ephise dux quoniam honorabilis es filius mulieris. convertere et sacrificia deis.

Pars etiam populi gaudiens: similiter dicebat.

Omnes autem viri et mulieres. pueri et senex. simul cum iudice gaudentes et alacres ephisum sequebantur ad apollinis templum.

Cumque ad templum simul omnes pervenissent: dixit beatus ephesus iudici.

Placeat tibi iudex et diis tuis. ut ad deos prius ingredians. atque sacrifices eis. ut de tuo gratu-

lentur adventu et honore.

Tunc iudex nimium gaudiens introivit in templum. et voce magna ad apollinem dixit.  
Magne deus apollo. et vos omnia omnipotentissima numina. ecce ephesus vester ad vos venit sa  
cificare vobis.  
Suscipite ergo deprecationem meum [meam?] servum vestrum. atque cum illo gaudentes miseri  
cordiam sibi vestram impendite.

Vos enim estis. qui miseremini ad vos redire volentibus.  
Et exiens de templo: dixit ad ephisum martirem.  
Ingredere ephise. deorum dulcis amice. dii enim te expectant recipere. et tibi indulgentiam pre  
stare.  
Audiens auten beatissimus martir. iudicem talem ex ore suo blasphemiam proferentem. et iam  
ulterius eius iniquitatem ferre non valens. contra eum dixit.

Pereas tu et dii tui. et omnes qui illos colunt. ad hanc voce febris valida apprehendit eum. ita  
ut se mori existimaret.

Templum vero totum cum omnibus ydolis ruere cepit.  
Tunc iudex nimio pavore axterritus. atque proximus morti se fieri non dubitans. mox ingres

sus cum militibus suis navem: ad propria redire non distulit.  
Et derelinquid [t?] ibi vicarium nomine flavianum. in impietate et nequitia similem.  
Statim vero beatum martiren. flavianus ad se presentari precepit. quem blandis ac deceptoris  
alloquens verbis dixiti.  
Redi ad mentem sanas ephise. et ab hac stultitia mentem tua averte. ut imperatoris dona atque  
honores percipias. nullasque tormentorus penas incurras.  
Sacrifica nun diis et eorum amicus eris. a me quoque quicquid volueris impetrabis.  
Si autem quae dico adimplere nolueris: diversis tormentorum generibus punieris.  
Beatissimus vero martir dixit ad eum.  
Miror te rationabilem virum ad tantam insipientiam devolutum. ut credas me vel per blanda

verba. vel per tormentorum minas a deo vivo et vero separari. et diis tuis surdis et vanis mani  
bus hominum fabricatis. quacumque promissionis blanditia sociari.

Non enim est hominis sensum habentis. ligna et lapides colere. vel pro auro et argento deum  
celi derelinquere.

Ergo autem adoro deum patrem et filium et spiritum sanctum. et sancte ad vivifice crucis ve  
nerabile signum.

Haec sancto martiri proseuente: fulgor de celo emicuit. et facies eius sicut sol lucens splen  
duit. in conspectu nequissimi principis et militum.

At illi nimio pavore perterriti: dixerunt ad invicem.

Dignum est mori.

Unus autem ex milibitus nomine archelaus principem salutavit. et ut gladio suo caput marti  
ris truncaretur confortavit.

Cumque gloriosissimus martir sententiam decollationis audisset: cucurrit gaudens ad spicula  
torem.

Et cervicem extendens: spiculatorem ut feriret ortabatur.

Cumque spicator in altum manum erigeret: cecidit glaudius de manu eius. et eum ulterius  
erigere non valuit.

Videns autem flavianus et quicumque cum eo erant que fiebant. dixerunt.  
Catenas in collum eius mittite. et in custodia carceris ponite.  
Quid vero postea sit faciendum de eo. inveniemus.  
Beatissimus autem christi martir ephesus: gaudens ibat ad carcerem. catenis confictus maximis.  
Cumque carcerem fuisset ingressus: posuit genua sua in terram. et oravit dicens.

Domine ihesu christe filii dei vivi qui totum mundum illuminasti. et per crucem tuam a potestate daboli liberasti: ne derelinquas me usque in finem.  
Et nunc domine gratias ago tibi. quoniam tu me creasti. et me peccatorem ad te convertisti.  
Tu enim omnes peccatores qui ad te redeunt recipis. et qui a via veritatis errant illuminas et exaudis.

Et nunc domine exaudi me servum tuum. et perfice in bonum desiderium meum. ut merear introire in regnum tuum.  
Hec autem eum orante: facta est ad eum vox de celo dicens.  
Pax tecum ephise. serve meus Carissime.  
Scias quia tecum sum ego. et non deseram te. quia multa pateris pro me. adhuc patieris.

Post octo itaque dies: sedit flavianus pro tribunali. iussitque in conspectu suo beatissimum christi martirem sisti.  
Cui et dixit.  
Ante quam carnes tuas ignibus tradam: sacrificia diis.  
Beatus autem martis respondit.

Ecce corpus meum in tua est potestate: fac quod vis. et noli tardare.  
Regnabo enim ego cum deo meo in aeternum et tu miser cum diabolo cruciaberis sine fine.  
Perfidus flavianus dixit.  
Vana verba tua atque inepta ferre non valeo. qui per magicas artes tuas de spiculatoris manu gladium corruere facisti.  
Unde ego et milites mei. stepefacti et admirati sumus.  
Iam desine stulte. a vanitatibus tuis.  
Cito enim videbis omnia tua membra dissolvi. et carnes tuas uncinis ferreis lacerari .

Audiens autem haec beatissimus christi martir ephesus talia minatem. magis in domino confortabatur. pro nichilo ducens penas sibi promissas.  
Et dixit ad flavianum.  
Audi fili diaboli.  
Non timeo tormenta. a te michi promissa.

Tu vero cum diabolo patre tuo. in aeternis incendiis permanebis et penis.  
Habeo enim regem celi dominum meum ihesum christum. qui te et patrem tuum diabolum in inferno alligabit. et ignem semper ardentem sine fine sustinebitis.  
Iratus vero flavianus dixit.  
Per multa te tormenta faciam diis nostris sacrificare.

Beatissimus autem martyr respundit.  
Seva bestia et agrestis: cur talia minaris? cur velut canis ad nichil profanum os tuum aperis?  
Nec te. nec deos tuos timeo. ignem. ferrum. catenas. et omnia tormenta tua non expavesco.  
flavianus dixit.  
Corpus tuum certe igni superponi faciam. et vulnera vulneribus imprimentur. resinam. piacem.

oleum. et omnem pinguidinem. subministrari faciam. et cum forti aceto omnia aspergi corporis tui vulnera.

Tunc iussit ministris ut eum in pavimento extenderent. et sicut dixerat omnia perficerent. Et in manu eius munera ad sacrificandum ydolis ministri posuerunt. perficientes omnia sicut eis imperatum fuerat.

Tunc beatissimus christi martyr ephesus. quasi duabus horis in pavimento consistens. et de manu sua posita munera proiciens. in virtute sancti spiritus omnia tormentorum genera devicit. et dixit.

Dextera tua domine glorificata est in virtute. dextera manus tua confregit inimicos.

Et iterum.

Dextera domini fecit virtutem. dextera domine exaltavit me.

Tunc flavianus et omnes astantes: beato ephiso martiri dixerunt.

Quid dicis miser quid loqueris? quare plangis?

Respondens autem beatissimus martyr dixit.

Propter peccata mea plango. ne forte animam meam impedian quoniam multa mala commisi. Unde corpus meum lutum et pulverem conspiciens. si pro deo centies possem occidi pro anime salute. plurimum letarer.

Demones enim in animarum perditionem valde congaudent. quibus tu ad exurendum perpetuo sociaberis.

Tunc flavianus in carceris ima eum catenis constrictum trudi percepit.

Altera autem die sedens pro tribunali: eum ad se adduci precepit. atque manus eius extendi et conteri iussit ne forte lapidem aut aliqua arma ferre valeret. quousque omnia sibi excogitata tormenta inferret.

Accepto tamdem consilio. clibanum mirae magnitudinis accendi precepit. et flammis exurenti

bus igni rimandavit. atque dilectum deo martirem in eum proici iussit.

Gloriosissimus vero martyr. se sanctae et vivificae crucis signo muniens. decantabat dicens.

Igne me examinasti domine. et non est inventa in me iniquitas.

Tanquam aurum in fornace probasti me domine.

Et nunc domine clementiam tuam peto. utque liberasti tres pueros de camino ignis ardantis in babilone. eruas me de medio istius ignis ardantis. ut gentes iste videant miracula tua. et glorificant nomen tuum in secula seculorum.

Hec eo in medio ignis orante. illesum eum divina gratia conservavit. et de clibano flamma exigens: ministros flaviani qui propo astabant in ictu oculi exus siti.

Omnes itaque populi qui ad hoc spectaculum astabant: stupefacti clamabant ad flavianum dicentes.

Dimitte eum cito. quoniam nisi eum cito dimiseris: moriemur.

Tunc civium pars maxima voce magna clamabat.

Et nos christiani sumus. et eius crucem sanctam adoramus. imperatoris etiam precepta. et suorum sacrificia deorum respuimus. et anathematizamus.

Et o sanctissime pater ephise dux noster. tecum pro nomine ihesu christi parati sumus.

Haec autem audiens flavianus impiissimus: timor in eo mortis decidit. surgensque a throno exiuit de pretorio. dissensionem civium ferre non valens.

Quidam enim ex ipsis clamabant. virum sanctus et iustum. vitae aeterne et felicitatis perpetuae

ostensorem. non debere talia pati.

Alii vero e contra ferentes. imperatoris precepta atque sacrificiorum ritus non debere contemnpi affirmabant.

Alia autem die flavianus impiissimus. tribunal sibi parari precepit.

Et consilio transacta nocte accepto: ascendit super illud ac decollationis sententiam contra christi martirem posuit.

Quam scribens: sic exorsus est fari.

Ephisum rebellem nostris diis credere nolentem. erorunque sacrificia per superbiam respuenterem. imperatoris atque totius religionem vanan putantem nostris precibus aures suas nullo modo inclinantem. honores et huius vitae gaudia pro nichilo habentem: contumelias. derisiones.

Obpropria. vincula te carceres. pro galileo illo libentissime patientem: capite truncari precipimus.

Ministri vero eum accipientes: eduxerunt eum in locum qui dicitur nuras. in quo qui capite plectebantur: constitutum fuerat decollari.

Et dum ad locum pervenissent: dixit spiculatori beatissimus martir:

Frater si tibi placet ante quam me decolles: da michi orandi indutias.

Spiculator autem dixit ei.

Ora quantum vis.

Intendens itaque beatissimus martir in celum: expandit manus suas. et hanc fudit orationem ad dominum.

Domine ihesu christe qui ante mundi principium de patre genitus. per uterum intactae virginis mariae in hunc mundum venire dignatus es. et homo fieri propter nos et propter nostram salutem. et deo patri obediendo. pro nobis mori non recusasti. resurrexisti autem propter gloriam nostram. et sedes a dextris virtutis dei. et es nobiscum sicut ipse promisisti usque in finem seculi. dabisque nobis post diem iudicii corporis et anime beatitudinem. exaudi orationem meam et auribus tuae pietatis. percipe lacrimas meas. et propitius esto michi.

Concede itaque domine. ut martirii mei cursum feliciter consummem. quod pro te libenter excipio.

Adsit michi misericordia tua. nullum impedimentum patiatur anima mea.

Humani generis inimicus non appropinquet michi. atque inimica manus non me contingat.

Peto etiam domine. ut hanc caralitani populi ab hostium incursu custodias civitatem.

Et ut desinant ydola colere. et demonum figura respuant. et cognoscant te verum unicum deum ihesum christum dominum nostrum.

Quicumque vero ex eis egri fuerint: ad locum in quo meus corpus depositum fuerit: si pro recuperande cura salutis advenerint. vel si aliquo modo fluctibus maris ultra posse constricti extiterint aut barbaricis gentibus oppressi. aut fame vel peste tabefacti permanserint postquam me servum tuum oraverint: per te domine ihesu christe deus deo. Lumen de lumine salventur. et ab angustiis suis liberentur. qui cum deo patre et spiritu sancto in trinitate cuncta regis et gubernas. per infinita seculorum secula.

Cumque qui secum aderant christiani dixissent amen. apparuit sibi dominus ihesus christus. et dixit ad eum.

Ephise dilecte mi audivi preces et orationes tuas.

Veni accipe coronam tuam semper mansuran quia bonum certamen certasti. cursum consumasti fidem servasti.

Miles ergo christi et athaeleta (sic!) fortissimus. de domine pietate et promissione confisus. spiculatori dixit.

Et frater. fac quod facturus es. secundum quod tibi preceptum est.

Et signo sancte crucis se muniens atque genua se flenctens: cervicem extendens et dixit.

In manus tuas domine commendo spiritum meum.

Tunc spiculator erigens brachium: decollavit eum et taliter pretiosus martir domino reddidit animam: angelorum manibus deportatam.

Venerunt itaque christiani et datis muneribus. acceperunt beatissimi martiris corpus. et pusuerunt cum psalmis et ymnis in loco celebri. sepellientes illud ex parte orientis. Et glorificantes et laudantes dominum.

In quo loco multa per eum fiunt mirabilia.

Nam ceci ibi illuminantur. le prosi mundantur. demones effugantur. surdi auditum. claudicantibus redditur gressus.

Et non solum ibi. sede ubicumque in qualibet necessitate exoratus fuerit: merita eius presentia sentiuntur adesse.

Post passionem vero beatissimi ephisi. multi ad sactum iuvenalem archiepiscopum ibant. qui tunc in montibus latibat (latebat) et percipientes sancte trinitatis fidem. baptizabantur ab eo. Quod audiens impiissimus flavianus. iussit eum catenis vinctum in carcerem trudi. et pedes eius in cippo artari.

Signavitque carceris ianuam cogitans quali eum morte disperderet.

Dumque iuvenalis beatus per totam noctem in carcerem consisteret: hora matutina apparuit ei angelus de celo dicens ei.

Iuvenalis precingere et calcia te et sequere me.

Tunc de collo eius catene ferreae cadentes: nusquam comparuerunt. et ianue carceris aperte sunt.

Angelus autem domini de carcere illum extrahens. et ad montem excelsum deducens. In locum qui caput passeri nunpatur. precepit illi ut ibi maneret. donec flavianum recessisse cognosceret.

Die atque sequenti veniens flavianus ad carcerem. et beatum iuvenalem ibi non inveniens. ceperit nimium anxius esse et dicere.

Ve michi. quomodo illusus sum a chriastianis.

Et videns se in omnibus superatum et populum calaritanum propter passiones servorum dei contra se vociferantem. die tertio cum suis navem ingressus in patriam suam redire festinabat. et populum calaritanum apud dioclitianum accusare cogitabat.

Sed dum per pelagus navigaret: valida tempestas exorta est.

Procellis enim maris insurgentibus. Et equis inter se calcitrantibus dirupta est navis. Ita ut omnes mergerentur.

Quod sanctus iuvenalis audiens in suam disponebat redire civitatem.

Sed populi qui in partibus illis erant congregati: rogabant eum ne tam cito eos velut orphanos derelinqueret.

Unde aliquanto tempore ibi commoratus: ordinavit presbiteros ac diaconos de ipsis quos noverat in fide christi doctos et viriliter eos agere docens in suam rediit civitatem.

Martirizatus est autem beatissimus christi martir ephesus octavo decimo Kalendas februarii. apud

caralitanam civitatem in insula sardinia. in loco qui dicitur nuras. et supultus est ex parte orientis. imperante dioclitiano imperatore. et flaviano principe.

Cuiu passionem ego presbiter marcus dum a principio usque ad finem oculis meis vidi sem: ortatus ipsius beati martiris ephisi. fideliter veraciterque descripsi. presentibus atque posteris profuturam. ad laudem et gloriam domini nostri ihesu christi. qui cum deo patre et spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum amen.

Eodem die passio sancti potiti martiris.

..... . .....

Trascrizione della prof.ssa Cenza Termes  
dagli atti 201-208 del Codice Vaticano Latino 6453  
custoditi nell'Archivio Storico Riservato del Vaticano in  
Roma

a cura dell'Archivio storico  
dell'Arciconfraternita del Gonfalone  
e.sanna - i. costantino  
settembre 2016

AS.ASE CAGLIARI-VOL. B/7-175.ATTI DOC.